

paucā ab ea in hoc pontificatu suo majori laude digniora effecta fuisse. Quapropter, excellentiam vestram, quanto efficacius fieri potest, rogo atque obtestor, velit tam sanctum opus sanctissimi domini nostri fovere, ac litteris suis mandare ut eidem reverendo domino Johanni libera et pacifica possessio dictae Ecclesiae eo favore ac ea promittuntur exhibeatur, qua summus dominus noster sacramque dictorum reverendissimorum dominorum meorum cardinalium collegium expectant. Qua in re, et si amplitudo vestra satisfaciet expectationi bonorum omnium ac innumerabilibus virtutibus defuncti domini Alovissii meritisque familiae et progenitorum suorum qui pro illustrissimo eo dominio egregiam semper operam impigre navarunt, ego tamen id ab ea ad singularem gratiam accipiam, cui invicem res omnes facultatesque et personam meam ad omne commodum honorem et incrementum excelsae reipublicae vestrae proutissime offero. Quae diutissime felix valeat.

Romae die 8 martii 1504.

Subscriptio: Excellentiae vestrae deditissimus
G. CARD
tituli Sancti Petri ad Vincula.

A tergo: Illustrissimo ac excellentissimo domino honorandissimo, domino Leonardo Lauredano duci
493 Venetiarum etc. dignissimo.

Copia di una lettera scritta per il cardinal San Piero in Vincula a la Signoria nostra.

Illustrissime princeps et excellentissime domine honorandissime, commendationes.

Multa sunt excellentiae vestrae et vetera et recentiora officia erga sanctissimum dominum nostrum secundum carnem avunculum meum et universam domum ac familiam nostram; quae cum ipse mecum recenseo, sicut illis parem gratiam referre posse non video, ita agnosco quantum oneris a dicto avunculo mihi relictum sit, qui me et nominis et dignitatis, sed et debitorum suorum haeredem instituit. Verum, imprudentis esset velle cum ea republica officiis certare, a qua regibus et maximis quibuscumque principibus vinci gloriosum fit. Faciam igitur quod unum superest ad ostendendam animi mei gratitudinem. Agnoscam debitum obnoxium me illi esse confitebor, personamque et res facultatesque meas omnes promptissime illi offeram, habiturus loco singularis beneficii quotiens illis uti pro arbitrio suo libuerit;

I Diarii di M. SANUTO — Tom. V.

et quam grati animi est cui multum debeas plurimum illi velle debere, fretus immensa et solita sua erga universam domum nostram humanitate et benignitate, novum cum excellentia vestra obligationis vinculum contraham, ut sit quod ego quoque ex parte mea illi debeam, mitto itaque ad capiendam possessionem monasterii Sancti Thomae cremonensis ordinis Sancti Benedicti, quod mihi nuper, cum per obitum bonae memoriae episcopi cortonensis apud Sedem Apostolicam defuncti vacaret, sanctissimus dominus noster ex concessione apostolica commendavit. Et sane id sanctitas sua effecit, non propter ipsius monasterii valorem, qui, ut audio, tenuis est, sed quia in dominio excellentiae tuae existit, ut inde occasionem haberem experiendi in me eam benignitatem ac beneficentiam quam semper beatitudini suae, dum in minoribus esset, excellentia vestra promptissime exhibuit. Qua re, illam omni studio et affectu rogo, velit litteris suis mandare ut procuratoribus meis dictae abbatiae pacifica possessio assignetur, quod ego addam ad cumulum aliarum obligationum, quae mihi sunt infinitae cum illa excelsa republica. Quam opto ut Altissimus diutissime felicem conservet, et cui me semper commendo.

Romae die 14 martii 1504.

Subscriptio: Excellentiae vestrae deditissimus
GAL. CARD
Sancti Petri ad Vincula.

Illustrissimo principi et excellentissimo domino honorandissimo, domino Leonardo Lauredano duci Venetiarum dignissimo.

493*

In questo zorno, hessendo stà deputato el Colegio per la cossa di danari di Santa Maura, veneno sier Piero et sier Francesco da cha' da Pexaro fo nevoli dil capitano zeneral, con alcuni soi cuognadi e avochati, *videlicet* domino Rigo Antonio et domino Venerio. Et parlò domino Rigo Antonio de Godis, dicendo

A dì 20 marzo. In Colegio. Vene l' orator yspano, et li savii erano a consultar la expedition di l' orator turcho, et fè lezer una lettera dil gran capitano, di 28 fevrer, da Napoli. Li scrive di certa ordinatione fata per el governador de Otranto, che di tutta la provincia di Terra di Otranto non si potesse extrahere ogli per mare si non si fontichava in Otranto. Al qual li scrisse volesse revochar tal or-

494